



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

544. An beneficiatus, super cuius beneficio imposita est pensio, obligetur eam solvere sub gravi culpâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Ventrigl. Lott. potius adhaeret negativa l. 1. q. 38. ubi postquam docuisset, ut vidimus *questionib. binis anteced.* ex eo, quod titularis consentiendo pensioni istiusmodi libera & exempta, hoc suo proprio consensu obligavit se, etiam ad onera insolita & excogitata eximendo pensionarium, titularem non posse pretendere remissionem aliquam exemplo conductoris, qui omne periculum in se suscipit, subiungit n. 39. contra Gig. de pens. q. 85. n. 7. & Gomez. in compend. signat. ad finem. ex consensu praestito à titulari reservationi pensionis libera ab omni onere, etiam excogitato, titulari non competere retentionem adversus pensionarium pro expensis factis in persequendo litem adversus aliquem intrusum.

De obligatione, & deobligatione, & modo solvendi pensionem, eamque factam probandi, & per eam praedjudicandi titulari in ordine ad acquirendam possessionem exigendi pensionem.

Quaestio 544. An beneficiarius, super cuius beneficio imposta est pensio, obligetur eam solvere sub gravi culpa?

Respondeo affirmative: tum quia pensio est portio extracta à beneficio, applicata pensionario; tum quia in literis pensionis reservatae praecipitur ejus solutio sub gravissima poena excommunicationis, quae poena supponit gravem culpam. Castrop. de benef. d. 1. p. 11. §. 6. n. 1. cum communi. Proceditque id non solum in primo consentiente pensioni, sed & de quocunque successore, cum pensio sit onus reale inharens fructibus beneficii, adeoque acceptans beneficium gravatum pensione tenetur onus illud sustinere; unde & in literis reservationis pensionis apponitur haec clausula: *Pensionem annuam per Titium Ecclesia illius modernum rectorem, & ejus in praesata Ecclesia successorem persolvendam.* Azor p. 2. l. 8. c. 8. q. 13. Castrop. loc. cit. cum communi, quam supponit Barb. juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 70. Garc. p. 1. c. 5. n. 190. Atque ita etiam provisus ab Ordinario, & vigore provisionis per Ordinarium ei facta possidet beneficium, tenetur ad solvendam pensionem, dum consentit pensioni per Papam constituenda in illo beneficio, v. g. dum Episcopus Titio contulit beneficium, nominando Cajum ad certam pensionem super fructibus ejusdem beneficii auctoritate Apostolica reservandam, in quam pensionem dictus Titius consentit. Corrad. in pr. benef. l. 5. c. 7. n. 8.

Quaestio 545. An, & qualiter titularis non habens possessionem beneficii pensione gravati teneatur eam solvere?

Respondet negativè Tond. q. benef. p. 1. c. 35. n. 10. Lott. l. 1. q. 39. n. 48. ubi quod non detur actio contra non possidentem, C. Luc. de pens. d. 33. n. 3. & d. 32. n. 4. Paris. l. 6. q. 2. n. 147. Filiuc. in append. posth. tr. 42. c. 6. q. 1. eò quod, cum pensio non sit debitum proprium & personale, sed causativum seu occasionale, quatenus nempe quis possidet beneficium, & obtinet fructus illius, super quibus propriè hoc onus pensionis re-

P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

fidet, idcirco cessante hac causa debendi, quia non possidet, vel citra culpam & factum suum fructus non percipit, ad pensionis solutionem cogi non potest. Card. de Luc. cit. n. 4.

2. Idipsum limitandum primò: Nisi beneficia, tum suà culpà negligeret, aut alià ratione possessionem non caperet, teneatur tamen adhuc in conscientia, quin & in foro externo compellatur solvere pensionem: cum enim per beneficiatum ster, quò minus possessionem capiat, non debet ex illius delicto vel facto alius iacturam pati. Filiuc. loc. cit. cum communi.

3. Limitandum secundò: Dum solet nihilominus in reservatione pensionis quandoque adici clausula provisi obligatoria, seu ut provisus de beneficio teneatur solvere, *habita vel non habita possessione.* Idque vel ex conventionem partium, vel quia agitur de pensione reservata ad favorem familiarium Papa, quae per Expeditores pensio palatina dici solet, ut Card. de Luc. cit. d. 32. n. 3. vel etiam adici consuevit in pensione reservata super beneficiis ultramontanis, praesertim Hispanis (intellige in favorem alicujus existentis in Italia, aut alibi in loco remoto ab Hispania) & hoc propter difficultatem probandi, an possessio capta nec ne, & quis sit verus possessor. Rarius autem in Italicis juxta dicta superius, ubi de modo imponendi pensionem sub hac clausula ejusque justitia; praeter quae ait quoque Lott. loc. cit. n. 50. quòd, cum pensionarius aliàs facile supplantari possit, ex stylo Curiae prudentissimè excogitatum esse hanc clausulam, ut per titularem fiat obligatio de solvenda pensione cum dicta clausula, quae habeat aequissimam rationem, ut nimirum malitia & commento fraudis occurratur, omnemque respuat injuriam titularis, qui volens ac liberè consensit. Qualiter verò praescindendo ab illo rigore juris, quo, stante hac clausula, titularis tenetur solvere, etsi possessionem non habeat, nec fructus ullos percipiat, ut Paris. l. 6. q. 2. n. 147. Rota secuta semper aequitatem interpretatur illam clausulam, ut non extendatur ultra duos vel tres annos dicta obligatio non solvendi, non habita etiam possessione; vide quoque dicta superius loc. cit. In quorum confirmationem sic quoque ait Card. de Luca cit. d. 32. n. 6. receptum esse, ut clausula illa, utpote adjecta ad occurrendum fraudibus & collusionibus in praedjudicium pensionarii, discretè ac sano modo intelligenda veniat pro uno vel duobus annis, seu aliàs pro facti qualitate & circumstantiis, ex quibus deveniatur ad notitiam, an ster per titularem nec ne, adeo ut cesset ratio suspicionis, cui eadem clausula innixa est ex cessante motivo rationis vel causa. Idem tradit Lott. loc. cit. n. 51. ubi: quòd, si tractu temporis cessaret suspicio fraudis, & titularis consequi nequiret possessionem, cessaturum quoque esse effectum dictae clausulae; cessaturam autem dictam suspicionem fraudis ait n. 52. & 53. ex diligentis possibilibus factis per annos continuos, tum in producendo literas, & instando pro earum executione, tum alio modo possibili removendo hoc impedimentum; ita ut sine diligentis illis factis non sufficiat lapsus ille trium annorum absque possessione. Dari & aliam adhuc cautelam certiore & expeditiore, tradit Lott. loc. cit. n. 58. dum nimirum decernitur, tam per consentientem pensioni, quam per ejus successorem, dari schedulam bancariam (de qua infra pluribus) per triennium cum obli-

Z

gatione